DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA DE VOMITU QUAM...

Francesco Foresti



DISSERTATIO
Inauguralis
MEDICO-PRACTICA
DE
VOMITU

QUAM IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE PATAVINA
AD RITE
LAUREAM MEDICAM
ADIPISCENDAM

FRANCISCUS FORESTI
BRIXIENSIS EX PRATALBOINO

PROPONIT



Patavii
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXXIX.

OPTIMIS · ET · BENEVOLIS

PARENTIBVS

DICABAT

AVCTOR:

LECTOR!

Cum volverem scripta illa et revolverem, quibus doctorum principes res medicas illustrare admisi fuerunt, potiora scientiae nostrae capita tanto studio a maximis viris pertractata reperiebam, ut vel nihil addendum reliquissent, vel, si quid forte explicandum restabat, illud tanta caligine ac tot difficultatibus premeretur, quibus superandis non sufficere videbar.

Ut tamen legibus academicis satisfaciam, sequens specimen selegi vix quidquam novi, circa vomitum nempe quidquam disserere, utpote morbum, unum ferme omnium frequentissimum, non raro etiam summe periculosum, tum ob ipsam loci, quem laedit prae ceteris eminentiam, ventriculi nempe primi nutritionis et conservationis nostrae organi; tum ob varias, quibus existentiam suam debet, causas, quarum detegendarum conatus, summos vel peritissimo medico quandoque labores facessunt, imo nonnunquam eluduntur in perniciem aegri; tum etiam ob inde natam non exiguam curationis difficultatem; et tandem ob innumera, saepe periculosissima symptomata, quae eumdem aut comitantur aut subsequuntur. Hisce rationibus perspectis non incongruum esse existimabam, tenues meos primosque labores huic malo dicare, et quae de eo aut legi, aut audivi, aut ad lectos aegrorum vidi,

in exactissimum quantum viribus potui compendium redacta carissimis meis condiscipulis communicare, quos, ut hoc opusculum, utpote tironis medici partum, aequi bonique faciant, enixe rogo.

Circa vomitum.

Vomitus in motibus ventriculi, oesophagi, pharyngis, nonnunquam et superioris, intestinorum tractus involuntariis, convulsivis et antiperistalticis, et in simultaneis musculorum abdominalium atque diaphragmatis contractionibus spasticis consistit, cum violenta ventriculo, contentorum aut in eum undecumque delatorum per os, vel et per nares simul, expulsione inde effecta.

Variam auctores tenent hujus morbi divisionem. Suppeditabo illam magis practicam, a causa nempe vomitum producente petitam. Frequentissimas igitur species sequenti ordine enarrabo, ut primo loco consideretur vomitus saburralis; 2. inflammatorius; 3. spasmodicus; 4. ab acribus quibuscumque assumtis, vel venenis; 5. a vitio organico; 6. herniosorum; 7. calculosorum; 8. denique a vulneribus capitis. Ad quas nunc praecipuas species plurimae aliae reduci possunt.

Vomitus saburralis.

Ad saburralem vomitum reduco 1. vomitum crudorum, illum nempe, qui ab ingluvie quacumque praegressa exoritur, a cibis nimium quantum distendentibus ventriculum; sequitur exinde vomitus et quidem omnium assumtorum, parum aut nihil immutatorum. Noscitur hoc malum facile; ructus enim rancidi, nidorosi praegressi, tumor et inflatio ventriculi, respiratio anxia, prandium lautum praegressum cum nunc insequente rejectione crudorum suf-

ficientem hujus morbi praebent diagnosim. Naturam hic sollicite evacuantem adjuvare indicatio poscit; quare eodem scopo copiosi potus diluentes, attenuantes propinandi, larga copia jusculorum exhibenda, ut his assumtis materia peccans facilius evehatur. Quod si tamen vomitus ille spontaneus inefficax esset ad omnem materiem e ventriculo ejiciendam, etiam ad ipsum artificialem vomitum foret accedendum.

2. Alius vomitus saburralis est biliosus a materia biliosa vel biliformi ventriculum innudante et nunc excreta. Frequentissima est haec species, et ut plurimum aestivo tempore qua symptoma febrium biliosarum adparens, etiamsi quoque sine febre comite nonnumquam se ostendat. Lingua tunc biliosa, sordida, flavescens; sapor oris amarus, depravatus; adpetitus penitus dejectus et nausea; ructus rancidi, amari; cardialgia; anxietas praecordiorum, et jactatio magna; pulsus celeres et imbecilles, accedente rejectione per os materiae biliosae, hunc vomitum ab alio probe distinguunt. Observatio jam antiqua est Baglivi, eos quibus biliosae sordes circa praecordia collectae haerent, pulsus celeres, imbecilles habere; quae tunc fictitia debilitas tollitur, quoties materia haecce gravans e corpore eliminatur.

Vomitum sic enatum per medicamenta diluentia, solventia copiose hausta adjuvamus, et reliquias postmodum per salina eccoprotica ano rejectas curamus. Si vero vomitus ille ad omnem saburram acrem eliminandam non sufficeret, ipso quoque vomitu artificiali reliquias auferimus. Patet hinc in hac specie canonem illum hippocraticum valere: »Vomitum vomitu esse curandum«.

3. Refertur huc vomitus pituitosus, dicitur a pituita primarum viarum collecta, homines laxiores, debiliores, phlegmaticos, pingues, senes praecipue infestans.

Aegri hoc morbo adfecti de pondere ventriculi conqueruntur, nullo gaudent adpetitu, et assumto etiam cibo brevi post oppressionem anxiamque respirationem experiuntur; ructus habent fatuos, linguam muco obductam exhibent; urinam crudam aut pallidam mingunt cum mucosis nonnumquam filamentis innatantibus, aut mucoso sedimento ad fundum secedente; leviores accedunt vomituritiones, et materiam paucam, ductilem, tenacem rejiciunt. Aegris talibus continuo vomitus leviores patientibus et tenacem paucam materiam evomentibus sub actuali vomitu remediis copiosis, mucum incidentibus succurrendum est, et muco nunc inciso vomitu eodem insufficiente, materia tenax, sed parcissima excreta, et signis repleti mucoque obducti ventriculi praesentibus emeticum exhibendum, et reliqua materia salinis datis per anum eliminanda est. Ablata pituita primarum viarum genesis ejusdem futurae est praecavenda: hinc amaricantia, resolventia, leniterque roborantia exhibenda, motus corporis simul, diaeta aromatica, frictiones injungendae sunt.

4. Non raro alia species vomitus saburralis homines divexat, orti nempe ab acido in primis viis stabulante, in infantibus persaepe occurrens, et non raro viros hypochondriacos, feminas hystericas, sedentarios, litteratos excrucians. Debilitas corporis universi antea cognita, faciei pallor, cardialgia, saepe jam antea observata, adpetitus aliquando summus, aliquando penitus dejectus, pondus ventriculi, tormina, nunc accedentibus ructibus acidis et rejectione materiae acidae austerae declarant hunc vomitum ab acido primarum viarum nasci. Salutem dant, acilitata prius vomituritione, exhibita omnis generis absorbentia, et acidum eliminantia; huic lapides cancrorum, astracodermata, magnesia muriae cum rheo conjuncta maximam laudem merentur. Absorpto autem et eliminato acido, indicatio est, genesim fu-

turi acidi praecavere; amaricantia quaevis roborantia huic scopo adprime conveniunt. Nonnullos acido laborantes mire juvat potus aquae frigidae.

Vomitus inflammatorius.

Vomitus inflammatorius sub nomine gastritidis notus signis quibusdam characteristicis ab aliis sese distinguit, quod nempe cum continuo, fixo, ardente, vehementer pungente, attactum repudiante ventriculi dolore conjunctus est. Aegri in statu hoc miserrimo positi cuncta, quae assumunt, intolerabili cum dolore et singultu per vomitum rejiciunt; multum interim anguntur, validissimam experiuntur sitim et pulsum durum, acceleratum; saepe vero prorsus suppressum et contractum exhibent. Dolor, quem dixi esse fixum in regione ventriculi, attactum repudiantem, nonnunquam adeo increscit, ut aegri toti pallescant, corpore toto sudore madeant, extrema frigeant, et pulsus in trementem ac pulsantem mutetur. Ex brevi hac descriptione patet, morbum hunc summe periculosum maximam attentionem sibi vindicare, ne vomitu deceptus medicus ad medicamenta accedat hic summe noxia ac perniciosa. Hinc cura summe antiphlogistica adhibenda, videlicet hirudines largae et eae pro necessitate repetitae instituendae erunt, clysmata emollientissima injicienda, et similia cataplasmata parti adfectae admovenda; haec cataplasmata nonnunquam levissima sint, oportet, cum aegri ob nimium dolorem graviora saepe vix ferant. Interne potus antiphlogistici, emollientes, tepidi, parca, saepius autem repetita copia, ingerendi, atque hac methodo non raro contingit, ut aegri ex orci faucibus eripiantur. Ad vomitum inflammatorium refero pariter vomitum observatum ab inflammatis aliis visceribus abdominis; vomitum ab enteritide, diaphragmitide, hepatitide, lienitide, ab inflamma-

tione pancreatis, peritonaei, omenti, renum, vesicae urinariae, uteri; cognoscitur talis vomitus sympathicus ex symptomatibus simul praesentibus inflammationis horum organorum. Cura talis vomitus sympathici a notione inflammationis et signis inflammati visceris repetenda est cuique visceri adaptanda.

Huc quoque pertinet vomitus metastaticus: vomitus arthriticus cognoscendus ex praegressis molestiis arthriticis, praesertim podagricis, ex urina rubra; vomitus psoricus ex praegressis morbis cutaneis vel ulceribus chronicis subito suppressis etc. Quoad curam harum specierum prae omnibus respiciendum est, an status phlogisticus ventriculi ortus sit, qui prius tollendus venit, quo facto vesicatorium adponatur ad regionem ventriculi; in podagra retrogressa sinapismi ad pedes; in ulceribus exsiccatis, suppressis exutoria ad loca prius adfecta, inunctiones, cum unguento ex tartaro emetico, mezereo. Praeterea illa remedia in usum vocanda sunt, quae species morbi diversa postulat, in arthritide guajacum, aconitum, in metastasi scabiosa sulphur regimenque diaeteticum hisce morbis conveniens.

Huc quoque adnumeratur vomitus haemorrhoidalis, menstrualis; cognoscitur ex praegressis haemorrhoidibus vel menstruis eorumque suppressione, quae congestionem vel inflammationem ventriculi ponunt. Ante omnia ventriculi congestio vel inflammatio debellanda venit, dein cura haemorrhoidum vel menstruorum suppressorum.

Vomitus spasmodicus.

Sub vomitu spasmodico intelligo illum, qui sola irritabilitate oritur. Praecedunt hunc ut plurimum symptomata quaedam singularia, quae non parum ad diagnosim conferunt. Etenim vertigo, obscuratio visus, tremor artuum cum urina pallida, copiosa, cry-

stallina non raro prodromi sunt hujus adfectionis; paulo post sequitur vomitus, quem symptomata antea enarrata una cum animi pathematibus praegressis et irritabilitate subjecti nota, et absentia signorum in aliis speciebus occurrentium spasmodicum esse declarant. Ad hunc vomitum refero illum in gravidis primis mensibus observatum, vomitum navigantium aut rheda vectorum, vomitum ab animi pathematibus praegressis, et tandem vomitum a visu rerum ingratarum.

Notum est, primis graviditatis temporibus mire adfici systema nerveum in feminis, vertiginem, cardialgiam et praeter plurima alia mala etiam vomitum produci, qui plerumque non compescitur nisi tempore; graviditate enim ulterius provecta sponte cessat; solaminis tamen aliquid adfert diaetae mutatio, si omnes illi cibi removeantur, a quibus modo incipiente graviditate abhorrent, sique medicamentis antispasticis utantur; ut plurimum acida mineralia dulcificata, menta, chamomilla, assa foetida laudari merentur.

Plus ceterum incommodi quam periculi hic vomitus habet. Vomitus navigantium aut rheda vectorum adverso corpore tollitur aquis aromaticis cinnamomi, chamomillae, melissae, mentae; quibusdam mire prodest coffeae, aut vini generosioris parca copia. Ceterum tempore et consuetudine ut plurimum cessat.

Mire adsuescunt ii, qui adverso corpore curru vehuntur, si saepius modico tempore sub itinere ita sedere cogantur, vel si oculis clausis sedeant.

Vomitum ab animi pathematibus, uti a terrore, ira, moerore natum curamus antispasticis. Notandum tamen est, vomitum ab ira exortum majorem attentionem mereri; in ira enim non tantum nervi adficiuntur, verum etiam valide adficitur systema biliferum; bilis enim ejicitur copiosa ad primas vias, et si nulla ejiciatur, icterus oritur. Haec est ratio, cur prosit in

ira vomitus, et a morbo praeserventur ii, qui post iram vomunt, aut in diarrhoeam incidunt.

Hinc est, quod cremor tartari, sales medii, eccoprotica, acescentia juscula cum succo citri et diarrhoea spontanea post irâm adeo prosint. Moerore confecti post pastum quoque vomunt; moeror enim diuturnus debilitat actionem ventriculi, eumdem languidiorem reddit. Hoc in casu abstinendum est àb opiatis, quae magis omnino actionem fibrarum delent; iisdem tamen, si vomitus ille nimis diu protrahèretur, et periculum minitaretur, utendum erit.

Ceterum vero blanda eccoprotica, quae effusam bilem eliminant, exhibenda erunt, et postmodum blandis roborantibus, aromaticis ventriculi vigor restaurandus est. Cura vero plenaria, ablata moeroris causa, distractione varia peragetur. Vomitus a visu rerum ingratarum exortus tollitur oblivione, sublata imaginatione et antispasticis. Notandum hic ultimo est, ne scilicet vomitum hunç spasmodicum cum bilioso saburrali quis confundat. Etenim non raro materia biliosa ejicitur, et os amarescit; per omnem enim vomitum spasmodicum diutius paulo perdurantem concusso valide abdomine bilis copiosa effunditur, quae effusa et rejecta minus cauto pro saburrali imponere posset, ut medicamenta longius diversa, morbum potius exasperantia exhibeat. Ast anni tempus, biliosis adfectionibus minus favens, irritabilitas subjecti nota, symptomata enarrata et amarities oris antea non praesens, sed primo post vomitum biliosum exorta sufficienter illum a saburrali discernere facient.

Vomitus ab acribus assumtis.

Vomitus ille oritur a venenatis acribus ingestis, a fungis venenatis, ab arsenico, sublimato assumto, ab emetico quocumque, a purgantibus acribus

drasticis exhibitis nimis larga copia, aut subjectis irritabilioribus. Vomitus a fungis venenatis salutaris, cum eo ipso saburra noxia excutiatur. Vomitus ab arsenico aut sublimato plerumque lethâlis, nisi cito obviam eatur potu largo lactis, oleoso; etiamsi ferme arsenicum vomitu ipso excutiatur, vel assumto largo potu enervetur, vomitus tamen perdurabit a sola ventriculi inflammatione per arsenicum inducta. Vomitus ab emetico hic nostram attentionem non meretur, nisi ipsa emesis arte concitata validior sit et transeat in hyperemesim, nec etiam vomitus ab assumto purgante, qui facile contingit in hominibus irritabilioribus et remedia multum nauseantibus. In hyperemesi omni plurimum prodest balneum, aut cataplasma calidum spirituosum; etenim alia nervis dispositis inducitur, cum cataplasma calidum aut balneum calidum diaphoresim movet eamque largam; prodest itidem enema, cum diaphoresi aut alio modo cesset vomitus, praecipue is, qui oritur a nimia irritatione ventriculi.

Vomitus a vitio organico.

Vitium organicum ventriculi rarius deprehenditur, frequentissimum tamen, quod occurrit, scirrhus est, scirrhosa lata durities, quasi cartilaginea ventriculi. Tali scirrhosa semicartilaginea duritie pylorus nonnunquam ita angustatus deprehenditur, ut tenuissimum specillum vix possit transigere. Complures tales observationes sectionibus cadaverum comprobatas hanc causam vomitus fuisse testabantur. Homines ejusmodi vomitu plerumque chronico laborant, is quocumque diei tempore invadit, maxime tamen una alterave a pastu hora. Non vero ab initio vomunt omnia ingesta, sed tantum solidiora, eaque fors paulo assumta initio nitrio retinent parcius assumta, nec semper ab omni pastu redit vomitus,

sed rarius et subinde solum, deinde vero de tempore in tempus frequentius, et tandem quotidie vomunt. Praeter ingesta ingentem pituitae ductilis simul quantitatem egerunt. Interea prout vomitus increscit crebriorque de die in diem evadit; sic alvus magis segnis redditur, et demum perquam adstricta, tandemque nulla. Pallent, emaciantur, oculos habent aliquando subflavescentes, tandem enervantur, et tumentibus ut plurimum cruribus circa malleolos evadunt atrophici.

Cura in talibus rarissima est, et vix unquam plenaria obtinetur; plerumque enim ea durities est, ut nulla amplius ratione solvi queat. Solventia tamen medicamenta iisdem propinantur, quae vero ne validissima statim sint, cavendum est, partim ne locum obstructum irritando inflamment, et scirrhosa durities in cancrum convertatur; partim ne nullo edito salutari effectu reliquam sanitatem pessumdent. Cura vero pallians consistit in diaeta mere liquida, et simul admodum nutriente, jusculis meris, panatellis tenuibus parce et frequentius ingestis. Convenit porro alvum adeo hic adstrictam enematibus sollicitare, et non raro ipsis clysmatibus parvis aegrum nutrire, ita ut hac arte aegri vitam miserrimam diutius protrahant.

Scirrhosa haec affectio ut plurimum subjecta potibus spirituosis nimium quantum dedita invadit, et non raro pedissequa est post febres intermittentes male curatas, cortice suffocatas.

Vomitus hic nonnunquam confunditur cum alio vomitu etiam chronico feminas chloroticas, debiliores saepe infestante; dantur enim puellae chloroticae, irritabiles et ingesta revomentes, et ipsa indicatissima remedia, si paulo majori assumantur quantitate. Curantur tales tenuissima diaeta adhibita, item remediis roborantibus, sed parcissime et paulo frequentius datis, remediis amaricantibus, stomachicis.

Quod si vomitus ejusmodi chronicus nec ipso opio sistendus medico occurrat, ejus est ad id attendere, virne sit et robustae compagis, qui vomit, an vero femina debilis, laxa, irritabilis et chlorotica. Falso in viri robusti vomitu chronico sanitatem promittet, sicque se ipsum et aegrum laudet; plerumque vero in feminis spem salutis faciet. sed in junioribus, ceteroquin boni corporis, si signa irritabilitatis aut chloroseos adsint, etsi dicant, se opiata et stomachica revomuisse, faustam nihilominus prognosim faciet; is enim plerumque error committitur, ut amaricantia ipsa fuerint nimia quantitate ingesta.

Et pancreatis non raro vitium, ut causam manifestam vomitus chronici sese prodit. Est quidem, ubi haec pars in scirrhum conspicuum mutata vomitum tamen nequaquam induxerit; sed frequentius vomitum excitat. Nunc enim tumor pancreatis scirrhosi ipsum ventriculum aut duritie, aut asperitate, aut per molem suam impediet, ne satis dilatari hic saccus queat; nunc vero duodenum, eumdem in modum lacesset, premetque intestinum; nunc inducta per pancreatis tumorem insignem venae splenicae vicinae compressione, sanguis circa ventriculum collectus, eumdem ad vomitum, interdum cruentum, urgebit.

Steatoma, tumor de inflammatione participans, purulentus, cysticus, scrophulosus, scirrhosus, carcinoma glandularum mesenterii, aut hydropis ejusdem, nec non partis cujuscumque contiguae vitia similia huc pertinent: ut a quibus, compresso intestini aut tenuis, aut crassi canali, pertinax non raro ac periculosus fere, vomitus inducatur.

Prout vero vicinius a cardia, ventriculi (angustioris illinc magisque contracti) vel tumor scirrhosus, vel aliud obstaculum delitescit, eo citius a pastu, nunc tribus, nunc septem, nunc pluribus ab eo horis, continuo augentur angustiae, nec non diversa

materiae per vomitum rejectae est facies. Saepius nempe, sed certe non ubique, nec sub pylori solius, sed et pancreatis scirrho, carcinomate, vel ulcere impuro, fusci, obscuri haec materia coloris est, et foetet, tractu temporis, sub ingenti ructuum copia, nec raro sub continuo singultu, vel si profundius in tubo intestinorum obstaculum haeserit, sub continuis borborygmis, sub sonora ventris intumescentia, non raro inaequali, alvoque pertinaciter in plurimis obstructa, acidissima expellitur. Quoad curam idem fere valet, quod in vitiis organici ventriculi supra jam dictum est. In induratione pancreatis resolventia fortiora in usum trahi possunt; ventriculus enim fert. Prius tamen, si quae adsint, congestiones ad pancreas tollendae veniunt.

Vomitus herniosorum.

Herniae et eae quidem variae in abdomine residentes saepe vomitum excitant; sic ex. gr., hernia ventriculi, si musculi abdominales nimium quantum fuerint relaxati, dehiscant et ventriculum non cohibeant, ita ut is, sic hoc modo dicere fas est, herniam efficiat; herniae itidem intestinorum, in ipso abdomine latentes parvae et incarceratae magnae, ubi multa intestinorum moles prolabitur, et sic ventriculus hac ipsa mole ad vomitum sollicitatur. Cura tali in casu in herniam ipsam est dirigenda; hinc si incarcerata et inflammata fuerit, quae saepissime vomitum talem producit, reponenda, inflammationi per antiphlogistica et topica et interna erit prospiciendum; patet hinc hirudines, easdemque repetitas, remedia antiphlogistica emollientia interna, clysmata talia continuo injicienda, et cataplasmata topice adplicanda, quin et balnea, semicupia, maximam tali in casu laudem promereri.

Vomitus calculosus.

Calculi, tam per vias urinarias, quam per biliferas moti, vomitum pariter excitare solent. Noscitur ex symptomatibus calculi vel in viis urinariis, vel in biliferis praesentis.

Indicationes hoc in casu sunt, calculo viam facilitare, id quod efficitur relaxando partes, quas permeat, ita ut facilius moveatur. Hinc mucilaginosa copiosa ore hausta, ano injecta, fomenta, cataplasmata, balnea primarium tenent locum. Vomitus hic symptomaticus mala statim ab initio opiatis sistitur, cum is conamen sit naturae salutare calculum propellentis. Ast vero si nimium sit validus, si justo diutius duret, si nimis debilitet, si spasmi validissimi accedentes calculo prodeunti remoram ponant viam intercludendo, tunc ad opiata cito confugiendum erit, ut vomitus sistatur.

Vomitus capite vulneratorum.

Mirus ventriculum inter et encephalon est consensus, mirum commercium; vix aliquid animae affectiones adeo turbat ac ventriculus gravatus; sed etiam originarie affectum encephalon functiones turbat ventriculi vice versa. Vulnerato valide capite, concusso crebro, aut etiam non raro eodem inflammato vomitus aeruginosus, viridis, quem, si a tali causa oriatur, mali ominis ut plurimum habemus.

Per se patet, quantum intersit, ut vomitus hic sympathicus ab idiopathico bene discriminetur, ne, neglecto encephalo, medeamur ventriculo in perniciem aegri. Cuncta tunc remedia vomitum sistentia effectu carent, nisi causa in encephalo existens antea tolli possit; hinc medela capiti varia pro varietate laesionis facienda est.

Regulae quaedam practicae circa vomitum notatu dignae.

1.° In omni vomitu sollicite inquirenda est causa ejusdem, non statim empiricorum more de sistendo vomitu cogitandum, non statim ad opiata, narcotica confugiendum.

2.° In omni vomitu, praecipue pertinaciori alvi obstructione praesente, indagandum est, an non alicubi hernia lateat, quod ex ipso aegro expiscandum est; attamen et confessioni hujus non semper confidendum; feminis praesertim hac in re minus credendum, quam viris, cum hernias ob innatum intempestivum pudorem occultent; dein non raro herniosus tumor alicubi adest tota mali causa ab aegro ignorata; novimus enim pessimas esse incarceratas illas hernias, quae exiguae sunt; novimus tales exiguas hernias ab hominibus rudioribus et rerum incuriis occultari, aut penitus ignorari; novimus herniam talem posse esse incarceratam, quin in loco incarcerationis magnus adsit dolor; haec doloris absentia, incarcerata exigua, sua mole non facile se prodens aegrum et medicum nonnunquam decipit; non enim infrequens est videre, quod in hernia incarcerata vomitu jam praesente stercoreo dolor ad ventriculi regionem sit nullus, vix ullus per totum abdomen, nisi rudior in loco hernioso fiat contrectatio.

3.° Alvus in omni vomitu libera est servanda; insigniter enim vomitus, alvo libera reddita, mitigatur, quin et nonnunquam tollitur.

4.° Non idem periculum vomitus in omni subjecto minatur. Deinde hic quaedam sunt generalia, ut sciamus, ubi plus timere oporteat, ubi minus; sic vomitus infantum minoris est plerumque momenti ac virorum, minus metuendus vomitus puerorum, puellarum, vomitus feminarum, aetatis juvenilis, quam ae-

tatis progressae. At vero majorem attentionem meretur vomitus virorum strictorum, seniculorum, vomitus gravidarum, haemoptoicorum, phthisicorum.

5.° Ex dictis igitur adparet, infantibus ac pueris facilius ac tutius emetica praescribi, etsi tamen rarius praescribantur, forte ideo, ne tenella, adeo irritabilia infantum corpora nimis adficiantur, convellantur, etiam si hac aetate saepius ac in aliis ob vitia diaetetica et saburras collectas emetica indicarentur.

6.° Adultis robustis paulo cautius sunt exhibenda emetica, et ad ea ut plurimum praeparari debent sanguine, si quid plethorici adsit, antea detracto, quo facto materiam vomitu reddendam diluimus.

7.° Saepe, quin imo plerisque vomitu praesente spontaneo, aut artificiali inducto brevi post paregorica exhibentur. Verumtamen etiamsi aliquando dentur casus, ubi vomitus nimium excedit, ubi irritabilitas subjecti nimia est, ubi materies jam evacuata; tamen non raro peccatur a nonnullis, quod hyperemesi nondum praesente, materia nondum evacuata, paregorica exhibeant; tum enim materia retenta in secundas vias ablegatur, et febres gastricae nonnunquam mali moris, putridae, saburrales generantur. Patet hinc, opiata et vomitum sistentia maximam circumspectionem mereri, ne, iisdem intempestive exhibitis, mala multo majora inducantur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Non datur sanitas una eademque in diverso subjecto.

II.

Metritis aut peritonitis et febris puerperalis non sunt morbi identici.

III.

Angioidesis activa semper hypersthenica.

IV.

Lac maternum neonato aptissimum est nutrimentum.

V.

Specificum remedium in gonorrhoea stricte sic dicta, secretionem restringens, sistit camphora.

VI.

Administratio interna hydrargyrii in cura syphilidis localis potius damnum, quam juvamen affert.

VII.

Actiones primae neonatorum per instinctum determinantur.

VIII.

Gangraena haud cum mortificatione confundenda.

IX.

Morbi intermittentes et remittentes essentia non differunt.

X.

Educatio bona est remedium prophylacticum contra quamplurimos morbos.

XI.

Facies humana merito speculum animae dici potest.